Blommendaal, Eliza Gerrit
Barend
Animadversiones
Petronianae

# ANIMADVERSIONES PETRONIANAE





E. G. B. BLOMMENDAAL.

# ANIMADVERSIONES PETRONIANAE

# Animadversiones Petronianae

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JACOBI JOANNIS HARTMAN

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN UNIVERSITATE LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

ELIZA GERRIT BAREND BLOMMENDAAL

NATUS IN PAGO PUTTERSHOEK

DIE IV MENSIS APRILIS A. MDCCCCVIII HORA III

LUGDUNI-BATAVORUM

APUD S. C. VAN DOESBURGH

MDCCCCVIII

MATRIS PIAE MEMORIAE

Hunc libellum in lucem emissuro, dulci mihi perfungendum est officio.

Tibi, clarissime HARTMAN, promotor aestimatissime, gratias ago quam maximas pro omnibus beneficiis, quibus Tibi me devinctum scio.

Quamquam Tuis lectionibus ut auditor adessem mihi non contigit, tamen et doctrina et benevolentia Tua mihi praesto fuisti.

Noli credere me unquam Tuorum erga me meritorum immemorem fore.

Tibi quoque, clarissime VAN LEEUWEN, cuius docta institutione frui mihi contigit, summas gratias ago et habeo.

# PRAEFATIO.

Petronii saturas qui obiter tantummodo inspexit facile fieri potest ut rem sibi esse credat cum laciniis disiectis, quae nullo inter se cohaereant vinculo. Atque in hanc sententiam vulgo de iis scribunt qui literarum Latinarum historiam tradunt. Quae res, me quidem iudice, haud leviter nocuit scriptori nostro, vel potius prohibuit quominus ei quam plurimi prodessent philologi. Mirandum enim non est eum, qui hanc sibi de reliquiis Petronianis informavit opinionem, cum raptim eas pervolvens in locum incidat, quem parum intellegat, de eo vel illustrando vel emendando iusto citius desperare. At mihi qui aliquoties totum librum perlegerim et cum pulvisculo excusserim — et fateor me mire delectatum esse scriptore, ut parum casto ita facetissimo — in dies certior nata est sententia narrationes mihi praeberi non ita misere dilaniatas. Concedo saepe rumpi vinculum, multasque patere rimas; sed longe pluribus locis nullo negotio ipsi novum aliquod vinculum annectere possumus rimasque, quae plerumque non ita magnae sunt,

explere: verba enim, quae lacunam excipiunt, fere semper luce clarius nos edocent quid exciderit. Bono ergo animo iterum iterumque ad Petronium recurrens et in locis dubiis suspectisve subsistens hic illic inveniebam aliquid quod non plane mihi indignum videretur quod prudentiorum doctiorumque iudicio permitterem. Modo vitium aliquod observare mihi videbar quod Buecheleri, summi viri, felix acumen fugisset, quodque leni me medicina curare posse arbitrabar, modo locum a Buechelero aliisque tentatum novo remedio a me invento sanandum putabam, modo aliud aliquid reperiebam quod in medio proponere cuperem. Has meas observatiunculas saepe diligenterque pensitatas nunc hoc libello Petronii amantibus offero. Atque quo melius appareat quid illud sit quod dicebam non tam miseram esse illarum saturarum conditionem praesentem quam saepe multis videatur, priorem earum partem meis quodammodo renarro verbis, ibi semper subsistens immoransque ubi emendatricem requirere manum viderentur verba tradita. Sponte quivis intelleget me nullum attigisse verbum quod ferri non posse non *ipsa* me doceret *narratio*. Scriptoris enim qualis Petronius est *sermonem ipsum* vel *grammaticam* ad certam aliquam redigere velle normam temerarium videtur.

# ANIMADVERSIONES PETRONIANAE.

Nuper mihi Petronium maxima cum voluptate perlegenti complures difficultates obortae sunt, quae haud indignae mihi visae sunt, quas in medium proferrem idque magis ut iudicio virorum doctorum subiciantur quam quod mihi videar eas solvere posse. Quaedam earum profecto eae sunt, de quibus tollendis in perpetuum desperandum est, aliae vero, mea quidem sententia, communi consilio persolvi posse videntur. Sed ut rite ac iuste illas quaestiones perpendamus, totum argumentum libri nostri diligenter consideremus ac recenseamus, secuti textum quem constituit Buechelerus. Prima verba, quae legimus in ea parte operis quae nobis servata est, sunt verba Encolpii, qui primas partes agit in opere nostro et nobis narrat casus et aerumnas, quibus in itinere suo vel potius erroribus suis perfunctus est. In medium sermonem eius incidimus quo invehitur in rationem qua ipsius aetate pueri educentur. Graviter incusat rhetores, qui „furiis inquietati" pueros alia omnia doceant praeter ea quae in usu habeantur. Deinde

ita pergit „nondum iuvenes declamationibus continebantur, cum Sophocles aut Euripides invenerunt verba quibus deberent loqui, nondum umbraticus doctor ingenium deleverat, cum Pindarus novemque lyrici Homericis versibus canere timuerunt et ne poetas [quidem] ad testimonium citem e. q. s. Ita edidit Buechelerus, voce „quidem" uncis inclusa. Sed quo modo fieri potest, ut Encolpius Sophocle Euripide Pindaro novemque lyricis testibus adhibitis, dicat „ne poetas ad testimonium citem"? Pro „quidem" exstant aliae lectiones: „solum" quod exhibet Sambucus et „tantum" quod alius dat. Quae cum ita sint, pro isto „quidem" uncis incluso „tantum" aut „solum" in textum recipiendum esse videtur. Lubenter concedo hoc loco „quidem" non esse ferendum.

Huic orationi invectivae Agamemno rhetor respondet, quod initium capitis tertii nos docet. Ita enim legitur „non est passus Agamemnon me diutius declamare in porticu e. q. s. Verba eius sunt prudentia et plena sanae mentis et mirum in modum congruunt cum oratione, quam Tacitus Messallam habentem fingit in clarissimo opere quod inscribitur Dialogus de oratoribus cf. c. 28—35. Rhetorum patrocinium suscipit, qui, ut exhibent codices „nimirum in his exercitationibus peccant." Quae verba in contextu ferenda non sunt, nisi concessiva vis eis tribuitur, ita ut coniunctio adversativa sequatur.

Quamobrem pro coniunctione „nam", quod est primum verbum proximae periodi, legendum censeo „sed", quo verbo restituto omnia recte procedunt.

Sed haec levioris momenti sunt, maior est molestia quae in proximis verbis occurit. Ut iam supra commemoravimus, Agamemno postquam declamationem suam in schola ad finem perduxit, Encolpio, in porticu declamanti, respondit et in initio capitis sexti, ubi rhetor „quod sentit" carmine satis abstruso et obscuro exposuit, auctor noster haec dicit: „dum hunc diligentius audio, non notavi mihi Ascylti fugam et dum in hoc dictorum aestu in hortis incedo'; e. q. s. Nonne haec verba eis, quae prius leguntur, repugnare videntur? In porticu Encolpius orationem Philippicam in rhetores habuit, ibidem Agamemno ei respondet, nusquam enim legimus, eos locum mutare. Deinde audimus ingentem scholasticorum turbam in porticum venire et Encolpium, oblata occasione usum, multitudini se subducere. Quomodo haec inter se concinunt? Aut vitium hic latet, quod mihi verisimilius videtur, idque eo magis quod codex Bernensis aliam praebet lectionem, aut fingere debemus, iuxta porticum hortos fuisse, unde Encolpius verba Agamemnonis audire posset. Si locus corruptus est et coniectura sanandus, fortasse legendum est „et dum hoc dictorum aestu motus concedo."

Sed ut paulisper redeamus ad carmen illud obscurum

Agamemnonis quod supra dixi, non intellego quae causa fuerit, cur Buechelerus lectionem traditam in versu septimo huius carminis mutaret. Legitur in codicibus „scena" quod intellegere mihi videor, quod idem affirmare non possum de „scenam" a Buechelero proposito.

Encolpius noster Ascyltum sodalem suum, qui cum Gitone fratre, qui dicitur, Encolpii aufugerat, persequi incipit, sed locorum ignarus errat via et tandem, necessitate compulsus, adit aniculam quandam cum festiva illa interrogatione, quam qui legit, risum tenere non potest: „mater, numquid scis ubi ego habitem?

A muliere in fornicem deducitur, ubi Ascyltum deprehendit, a patre familiae eodem perductum. Ascyltus Encolpio casus suos enarrat et coniunctis viribus insidias sibi paratas effugiunt. Tum domum se recipiunt, quod animo fingendum est, nam propter lacunas aliquot, non sane magnas, narratio nos deficit et ineunte capite nono tres socios domi videmus. Gitona enim in crepidine semitae stantem reppererunt.

Huc usque narratio recte procedit, sed antequam pergimus, nonnulla sunt addenda. In capite sexto mihi non placent verba: „nec quod stabulum esset sciebam." Quid enim? Itinere deerravit Encolpius et nescit, ubi deversorium suum sit. Quam sententiam ex verbis citatis elicere non possum. In proximo capite

Ascyltus, eundem casum expertus, haec dicit: „nec invenirem, quo loco stabulum reliquissem." Unde mihi in mentem venit nostro quoque loco supplementum verbi „loco" desiderari et pro „quod" legendum esse „quo," quae lectio quodammodo confirmari videtur eo, quod narratio amputata pro „quod" praebet „quo."

Notandum hoc quoque est, cum omnibus ceteris locis, ubi Graeca urbs significatur, „urbs" vel „oppidum" usurpetur, hoc uno loco eam indicari voce „civitatem." Omnia indicia in satiris obvia, quae eo pertinent, ut nobis monstrare possint, in qua urbe Encolpius cum suis versetur, accuratissime ac deligentissime collegit v. d. J. H. Leopold in disputatione, non satis cognita, quae inscribitur „Over de plaats van handeling der cena Trimalchionis." Qua disputatione dilucide ostendit, ex quattuor urbibus, quarum in hac re ratio possit haberi, Neapolim optimo iure sibi eum vindicare honorem.

Sed ad rerum ordinem revertamur. In „conducto" trium amicorum nostrorum communi rixa oritur inter Encolpium et Ascyltum. Giton enim queritur Ascyltum paulo ante in conductum ingressum esse et vim sibi intentasse. Quando hoc fieri potuit? Neque enim Encolpio praesente factum est et Encolpius atque Ascyltus una ex lupanari aufugerunt. Aut igitur eae insidiae ante mirificum in fornice occursum statuen-

dae sunt et Encolpius, praesagiens, quid illa Ascylti fuga cum Gitone vellet, non sine causa duos fugitivos persecutus est aut satis ampla est lacuna, quam Buechelerus statuit. Etiam verba, quibus Giton in querela utitur, nos cogunt parumper subsistere. Quid enim dicit? „Tuus iste frater seu comes" e. q. s., Ascyltum significans.

Quae est vis verbi q. e. „frater"? Suntne re vera Encolpius et Ascyltus isdem parentibus orti an in malam partem vox accipienda est, ita ut inter Encolpium et Ascyltum eadem antea fuerit consuetudo atque nunc inter Encolpium atque Gitona est? Illud non est verisimile propterea quod in satiris nulla alia exstant indicia huius consanguinitatis, hoc ipsius Ascylti verbis subinde sequentibus, de cuius fide minime dubitandum est, confirmatur. Dicit enim „cuius eadem ratione in viridario frater fui, qua nunc in deversorio puer est." Statuendum ergo est fratrem hic idem valere atque puerum Catamitum. Quo constituto alia oboritur molestia. Quid enim sibi volunt illa verba addita „seu comes"? Comes, quod sciam, numquam in obscenum sensum adhibetur atque propterea quod „frater" et „comes" coniunctione „seu" coniunguntur, eandem fere vim habere debent. Praeterea nihil est illud „seu comes" aliud nisi ieiunum et insulsum additamentum, omnino alienum a genere dicendi Petroniano. Quae cum ita sint, nihil superest

nisi ut cum Wehlio verba illa „seu comes" deleamus Quasi tragice ornatus est finis huius digressionis, ubi Ascyltus clamoribus Gitonis his verbis respondet „si Lucretia es, Tarquinium invenisti." Encolpius querimoniis fratris sui permotus, iracundia effervescit et virus acerbitatis suae in Ascyltum effundit. Neque ille tacet et inter se maledictis lacerant Cavendum autem est ne maledicta, quibus utuntur, urgeamus. Nostro quoque tempore videmus homines iratos, praesertim adulescentes linguis habenas permittentes neque curantes, quid dicant, dummodo aliquid dicant, quo adversariorum animos offendant neque est, quod suspicemur, aliam Petronii temporibus hominum fuisse naturam atque nunc est. Quapropter, si Encolpius et Ascyltus, ut sunt ira et invidia incensi, contumeliae causa inter se probra ingerunt. prudenter et caute eorum verba sunt accipienda. Velutsi in illa verborum disceptatione — nam lingua quam manu spectatiores esse videntur — Ascyltus exclamat „gladiator obscene" non licet inde efficere, Encolpium reapse gladiatoriam artem exercuisse.

Quod et naturae rerum repugnat et aptissime refutatur loco, qui legitur in capite centesimo septimo decimo. Verba, quae volo, sunt haec: „tamquam legitimi gladiatores domino corpora animosque addicimus." Huc accedit, quod vocabulum gladiatoris tam vulgaris et trita contumelia est, ut inutile sit

exempla huius usus proferre. Non sunt igitur gladiatores. Neque sunt servi, quod dilucide apparet ex uno et altero loco satirarum, e. g. c. 107, ubi Eumolpus liberos homines, iuvenes ingenuos eos appellat. Si ex eis, quae praecedunt, nobis coniecturam facere licet de conditione eorum hominum, qui in opere nostro suas partes agunt, fieri non potest, quin cogitemus de scholasticis, qui ex severa disciplina scholae cuiusdam sese expediverunt et vitam, quam nos vocamus „Bohemicam" vitae legibus scholae astrictae, anteposuerunt.

Quodsi hoc constat, verba in aestu irarum edita, non esse urgenda, tamen aliquid veri in eis inesse solet, quod, ut ita dicam, ultro apparet et idcirco facile agnoscitur. Encolpius praeter cetera hoc quoque Ascylto vitio dat: „subduxisti te a praeceptoris colloquio". Si hoc verum est — neque videtur esse, cur in dubium id vocemus, quia Ascyltus criminationi respondens non infitiatur rem ipsam, sed famem excusationem fugae habet — eis verbis fulcitur coniectura, quam supra proposuimus de conditione nostrorum hóminum. Reliquum responsum Ascylti non est magnae in praeceptores reverentiae et finem facit hisce verbis inexspectatis: „Multo, inquit, me turpior es tu hercule, qui, ut foris cenares, poetam laudasti." Quae verba tantum litigantium risum concitant, ut inter se reconcilientur et „ad reliqua" secedant. Ita

enim legitur in codicibus. Quae sint ista reliqua, nos latet. Exstat enim lacuna quae facit, ut in dubio simus. Fortasse tantummodo cogitare debemus de cena a Gitone parata, quam rixa interpellavit.

Attamen reconciliatio non est diuturna, nam Encolpius, ut est invidiae plenus, iniuriae immemor fieri non potest et omnibus rebus circumspectis comites constituunt optimum esse bona sua ita inter se dividere ut suum uterque obtineat et suam utrumque sequi viam. Una tamen res obstat, quominus statim inter se valere iubeant; nam tamquam scholastici „hodie" ad cenam promiserunt ideoque discessionem in proximum diem differendam esse Ascyltus censet. Quae est cena illa? Estne cena Trimalchionis, quae describitur in capp. 26—79 operis nostri? Sic plerique volunt. Sed non est verisimile, nam ex eis quae sequuntur, colligere debemus diem, de quo nunc agimus, multis aliis negotiis et casibus consumi. „Deficiente die" — sunt verba ineuntis capitis duodecimi — in forum descendunt et, in cubiculum suum regressi, per totam noctem obnoxii sunt blanditiis, quibus Quartilla maga eiusque comites eos persequuntur. Praeterea in capite 26 legimus: „venerat iam tertius dies," quae verba optime concinunt cum ratione rerum, si ponimus, cenam Trimalchionis aliam esse atque eam, quam Ascyltus hoc loco indicat.

Quod ad Gitona attinet, Ascyltus non cunctatur,

quin eum comiti suo concedat, ultro enim profitetur, se cras cum habitatione alium fratrem sibi prospecturum. Ut iam supra commemoravimus, Ascyltus discessionem in posterum diem dilatam mavult, Encolpius contra divisionem quam celerrime confectam vult. Etenim „tardum est," inquit, differe quod placet." Quae verba, si quid video, ita sunt accipienda, ut „tardum est" idem valeat atque „tardi est." Deinde haec verba sequuntur: „hanc tam praecipitem divisionem libido faciebat" e. q. s. Mihi quidem non est perspicuum, quamobrem cum Buechelero fingamus hic lacunam extare, nam ratio sententiarum optime procedit. Verba laudata examplificant et illustrant tantummodo praecedentia et Encolpius eis significare videtur, suum in Gitonem amorem unam esse causam quamobrem quantocius se ab Ascylto seiungere velit. Ea vis mihi inesse videtur in Imperfecto „faciebat." Divisionem re vera esse factam, ex proximis verbis apparet, quamquam res non ipsis verbis est indicata. Lacuna igitur hic adest (post verba „rationem reducerem") sed non magna.

Encolpius Gitonem retinet et postquam quacunque de causa per totam urbem ambulavit, in cellulam redit, ubi nova condicione fruitur. Sed ecce de improviso adest Ascyltus, qui, ut apparet, intellexit se in divisione communium fortunarum minorem partem tulisse.

Fortissima manu cellulae claustra discutit et Encolpium et Gitonem in manifesto scelere deprehendit. Cum risu et plausu Encolpio haec verba iniungit „quid agebas, frater sanctissime, qui diverti contubernium facis?" Quae ultima verba equidem non intellego. Sunt verba a Buechelero coniecta et substituta in locum verborum traditorum „quid .i. verticontubernium." Unus et alter vir doctus huic loco corrupto mederi conatus est et variae lectiones excogitatae sunt. Si mihi licet numero coniecturarum unam addere, hanc lectionem proponere velim „Quid interdictum contubernium facis?" Quae verba in hunc sensum accipienda sunt: „Qui tibi venit in mentem, ut una vivas cum Gitone eo modo, quo tibi non licet?" Ascyltus iniuriam acceptam non continet sed a verbis ad vim convertitur et amicum falsum verberat. Nihilo minus pax inter eos reconciliatur sed quomodo hoc fiat et quibus condicionibus, nobis non traditur sed re vera pacem componi ex eis, quae post lacunam sequuntur, efficere possumus, ibi enim amicos una in forum descendentes videmus „in quo" — sunt verba Petronii — „notavimus frequentiam rerum venalium, non quidem pretiosarum sed tamen quarum fidem male ambulantem obscuritas temporis facillime tegeret." Nimirum unusquisque, qui hanc sententiam leget, exclamabit: „Quid est fides male ambulans?" Neque dubito, quin permulti interroganti

non responsuri sint. Ego saltem non habeo, quod huic quaestioni respondeam. Locum intellegere possum, si pro „male" legimus „malam" et pro „ambulantem" scribitur „ambulanti".

Ita ut auctor noster dicat, res in foro venales esse eas, quarum originem suspectam obscuritas temporis oculis praetereuntium subtraheret aut — et haec interpretatio mihi potior videtur — quarum vitia obscuritas temporis praetereuntibus tegeret.

Quo consilio amici nostri in forum descendunt? Ut pallium „latrocinio raptum" vendant, de quo furto iam antea facto satirae nihil amplius tradunt. Cum in angulo quodam vestem, cuius splendor emptores alliceret, explicuissent, accessit rusticus quidam, in humero tunicam detritam et obsoletam gerens, itidem venalem. Is pallium diligentius considerare coepit. „Invicem Ascyltus — ita enim narratio progreditur — iniecit contemplationem super umeros rustici emptoris ac subito exanimatus conticuit." Sed Ascyltus non modo nullam vocem edidit, sed ne muttivit quidem. Quid igitur sibi vult illud „conticuit"? Equidem non intellego neque dubito quin alia vox in hoc verbo lateat. Ascyltum metu exanimatum esse, cum tunicam, in cuius sutura argentum, item „latrocinio raptum" amici abdiderant, in manibus huius rustici videt, ex ipsa rei natura sequitur, verum homo tacens non conticescit. Veram ac genuinam lectionem in

loco corrupto restituere semper perdifficile est, equidem vero non dubito quin Petronius scripserit „constitit". Si hoc verbum in contextum recipimus, omnia recte procedunt. Ipse quoque Encolpius paulo commotior est, quod subito tunicam aspicit, cuius recuperandae spem iam omnino abiecerat sed Ascyltus brevi tempore se recipit et continuo secum deliberat, quomodo fortunam oblatam in suum usum conferat. Id ut efficiat, ad rusticum „tamquam emptor" accedit ac diligentius laciniam investigat. Postquam aureos nummos in sutura intactos deprehendit, gaudio elatus lusum fortunae miratus, tacitus fortunae filium se praedicat. Encolpio seducto insusurrat, quid invenerit. Sed quibus verbis de his rebus docemur? „Ascyltus" — sunt verba Petronii — „post quam depositum esse inviolatum vidit et personam vendentis contemptam, seduxit me" e. q. s. Ingenue fateor haec verba vitio carere et tamen dubito sintne verba ipsius scriptoris. Nam unicuique qui primum legerit admirationem motura sunt. Quis enim non iudicabit, posteriorem partem sententiae omnino esse languidam? Et si Ascyltus re vera existimat, alicuius esse momenti, quod persona vendentis i. e. rusticus est homo, cui facillime verba dari possint, cur in eis verbis, quibus Encolpium alloquitur, eius rei nullam mentionem facit? Unde igitur illa quaestio: „Quid ergo facimus, aut quo iure rem nostram vindicamus?" Quae cum

ita sint, nescio an verba Petronii haec fuerint: „persona vendentis contempta." Quae verba ita accipienda censeo, ut vox quae est „persona" idem significet atque „partes" et „contemnere" idem valeat quod „reicere" sive „omittere". Ascyltus igitur quem cura pecuniae in sutura conditae occupat, desistit pro venditore agere. Si hanc argumentationem pro vera accipimus, ante „personam" delenda est coniunctio „et", quae per dittographiam ex praecedenti „vidit" originem trahere potuit.

Encolpius censet lite esse agendum, Ascyltus vero iudicia timens mavult tunicam praesenti pecunia emere sed sociorum „sacculus plenus est aranearum." Quod nobis his verbis narratur: „sed praeter unum dupondium, quo cicer lupinosque destinaveramus mercari, nihil ad manum erat. itaque ne interim praeda discederet, vel minoris pallium addicere placuit et pretium maioris compendii leviorem facere iacturam" e. q. s. In quibus verbis insunt quaedam digna de quibus fusius disputetur. Primum de ordine verborum. Libri vocabulum „itaque" post „discederet" collocarunt neque video quare illa vox non suum retinere possit locum, dummodo sententias recte distinguamus. Hoc modo enim verba iungere velim: „sed praeter unum dupondium, quo cicer lupinosque destinaveramus mercari, nihil ad manum erat, ne interim praeda discederet. Itaque vel minoris" e. q. s. Quivis enim,

hanc sententiam legens sentiet in vocibus „nihil ad manum erat" inesse vim impediendi, quae faciat, ut recte subiungantur „ne interim praeda discederet." Deinde in eis, quae sequuntur, mihi displicet, quod cum verbo „placuit" iunguntur primum Infinitivus „addicere," ita ut Ascyltus et Encolpius locum obtineant eius partis sententiae, quae vulgo „subiectum" appellatur, et deinde subiecto mutato Acc. cum Inf: „pretium maioris compendii leviorem facere iacturam." Accedit quod pro „et" libri exhibent „ut" et pro „facere" „faceret." Quapropter non video, quare traditam lectionem „ut pretium maioris compendii leviorem faceret iacturam" improbemus, eo magis, quod meo iudicio bonum praebet sensum. Etenim duo latrones statuunt pallium minore pretio vendere sperantes fore ut damnum ita acceptum reficiant tunica parvo pretio recuperata.

Sed ecce mulier, quae cum rustico steterat, agnoscit pallium sibi surreptum et vindicat et „magna vociferatione latrones [tenere] clamavit." Lectio, quam proposuit Buechelerus, nullam habet offensionem, verum tamen mihi non est persuasum, necesse esse vocem „tenere" uncis includi. Immo illud verbum servatum etiam magis perspicuum facere videtur, quid femina velit. Quando aliquis clamat „fures"? Nimirum eo ipso tempore, cum furtum fit ideoque maxime cavendum est, ne coniciamus „tenete," in

quam coniecturam facile quis incidat. Aut tradita lectio servanda est aut quod mihi minus probatur pro „tenere" legendum est „teneo." Utroque modo mulier dicit, se latrones detectos manibus tenere. Tum demum veram habemus sententiam, quae desideratur neque ea re commoveor, quod infinitivus „tenere" caret pronomine se," cuius neglegentiae copia exemplorum afferri potest. Si quem forte illa res offendat, inserat post latrones „se" et „in tutost omnis res."

Verba quae iam sequunter fere nihil offerunt, de quo disputari possit. Narratio placide progreditur. Ascyltum et Encolpium contra videmus tunicam vindicantes, quae res circumstantibus, imprimis cocionibus, qui lucri avidi undique concurrerant, risum movet. Peropportune Ascylto in mentem venit controversiam cum bona gratia componi posse. Censet suum utrisque reddi, quae pactio satis placet rustico et mulieri, at minus advocatis „qui volebant pallium lucri facere." Ea omnia sunt perspicua, sed una est res, haud sane magni momenti, quam hic commemorare velim. In quarta editione Buecheleri legimus, „advocati tamen iam poenae nocturni," cum in tertia legatur, „advocati tamen iam paene nocturni", quae sunt verba librorum. Hoc tantummodo de illo loco dicere volo, mihi hanc lectionem multo potiorem videri quam illam. Altera difficultas nobis oritur in paragrapho proxima, i. e. paragrapho tertia capitis

quinti decimi, ubi legimus haec verba: „res quae viderentur in controversiam esse." Quid obstat, quin „controversiam" commutemus in „controversia"? Probe scio, hunc unum esse locum Petronianum, ubi haec verba reperiantur et ea de causa perdifficile esse diiudicare, utram lectionem genus dicendi Petroniannm desideret neque ignoro apud scriptores Latinos eius aetatis multa alia eiusmodi occurrere, sed „controversia" mihi multo magís placet quam „controversiam". Sed ut omittamus hanc parvi momenti rem, persequamur cetera.

Quem exitum habet querela mota? Eum quem amici nostri speraverunt. „Indignatus enim rusticus, quod nos centonem exhibendum postularemus, misit in faciem Ascylti tunicam et liberatos querella iussit pallium deponere". Hic haereo in voce, quae est „liberatos." Itane est? Ascyltus et Encolpius suntne re vera a rustico querella liberati, cum tunica in Ascylti faciem missa est? Non credo, immo se ipsum querella liberavit, nam Encolpius et Ascyltus nihil minus obnoxii sunt crimini pallii surrepti. Quapropter restituendum esse videtur „liberatus".

Hisce feliciter peractis socii praecipites domum se recipiunt et praeclusis foribus rident calliditatem adversariorum. Cena Gitonis manu parata vires recreabant, cum subito ostium „non satis audaci strepitu" pulsatum est, sive ut ipsius Petronii verbis utar

„ostium non satis audaci strepitu exsonuit impulsum". Sitne haec lectio vera subdubito, nam, quod strepitus, quo ostium pulsatur, non satis audax dicitur, id quod hic idem fere valet atque „timidus", non bene concinit cum pallore, quem in genis amicorum nostrorum cenantium efficit. Etenim subsequuntur haec verba „cum et ipsi ergo pallidi rogaremus" e. q. s. Quapropter Buechelerum rem acu tetigisse arbitror, cum diceret pro „non" fortasse legendum esse „nostrum". Unus mihi restat scrupulus in eis verbis quae proxime laudavi. Quomodo sunt accipienda ea verba, qua sunt „et ipsi"? Si quid video, nobis indicio sunt, ante hanc sententiam excidisse nonnulla vocabula, quorum summa haec esset: „Giton timore perterritus expalluit." Nam praeter nostros tres homines nemo, quod sciamus, in convivio aderat et in promptu manifestumque est, Ascyltum et Encolpium indicari eis verbis, de quibus agimus. Verum utut haec res se habet, non temere convivas expalluisse docent ea verba, quae sequuntur, nam „sera sua sponte delapsa cecidit reclusaeque subito fores admiserunt intrantem." Hic artem magicam intervenire neminem fugit. Quis autem est magus ille, cui potestas data est non solum lunam de caelo deducendi, sed etiam ianuam reserandi, cum ipse foris esset? „Mulier" — ita enim legimus — „autem erat operto capite, illa scilicet quae paulo ante cum rustico steterat." Quae verba mire consentiunt cum

eis quae leguntur in capite decimo quarto „mulier operto capite, quae cum rustico steterat." Sed ea consensione quamvis mira omissa, quivis tamen, qui hunc locum perlegerit, hanc quaestionem sibi ponet, qui Encolpius statim agnoscere possit mulierem, cuius caput opertum est? Equidem non intellego. An est mera Encolpii suspicio, nata ex praesagiente conscientia mali facinoris? Credere non possum et ea de causa aut verba „illa scilicet quae paulo ante cum rustico steterat" Iacobsio auctore eicienda sunt, aut „operto" mutandum in „aperto". Illud mihi potius videtur.

Postquam mulier quis esset amicos nostros attonitos edocuit eosque certiores fecit se praemissam esse ut indicaret dominam suam Quartillam venisse eos adeundi cognoscendique causa, ipsa Quartilla, mulier sacris Priapi dedita, intrat „una comitata virgine, sedensque super torum meum diu flevit." Pro „sedens" malim „sidens", quia haec vox magis est accommodata ad sententiam huius loci. Non ignoro, nusquam alibi apud scriptorem nostrum hoc verbum inveniri, contra verbum „sedendi" compluribus locis occurrere. Sed illos locos recensentes videmus, verbum sedendi nusquam non nisi suo proprio et vero sensu usurpari, cum hic sine dubio notio verbi „considendi" requiratur. Accedit quod apud auctorem, qui in tot rebus scriptori nostro exemplo fuit, quem potissimum imitatur et a

quo magnum numerum verborum mutuatus est, Vergilium volo, uno et altero loco hoc verbum legitur. His rationibus adductus equidem non vereor viros doctos rogare ut secum deliberent, utrum tradita lectio sit potior an ea, quam proposui.

Tresviri nostri aeri argento auro furando rapiundo taciti eventum huius insolitae salutationis opperiuntur. Quartilla lacrimis suis indulget. Deinde narratio in hunc modum progreditur „ac ne tunc quidem non ullum adiecimus verbum, sed attoniti exspectavimus lacrimas ad ostentationem doloris paratas". Quae sententia, nisi omnia me fallunt, non concinit cum eis, quae antecedunt. Quartilla in lacrimas effunditur et taciti arbitri exspectant lacrimas. Haec inter se conciliare nequeo. Si hoc loco scriptum esset „expectavimus lacrimarum finem ad ostentationem doloris paratarum," omnia recte procederent. Neque tamen ad tantam vim confugiam propterea quod multo lenius exstat remedium, quo hic locus sanari possit. Tantummodo cum Sambuco pro „exspectavimus" legamus „spectavimus", cui lectioni neminem non assénsurum mihi quidem persuasum est.

Vi lacrimarum profusa Quartilla tandem ad se redit et verbis gravissimis increpat fures pallii. Eo enim spectare verba illa, „quaenam est haec audacia aut ubi fabulas etiam antecessura latrocinia didicistis" vel potius posteriorem partem huius sententiae ad furtum

pallii referendam esse pro certo habeo. Hoc modo igitur ordinem rerum fingere debere videmur, Ascyltum et Encolpium consociatis viribus aut alterutrum ex eis occasione oblata in sacellum quoddam Priapi irrepsisse et inde pallium furatos esse. Verum etiam maius scelus fures in se admiserunt eo, quod, ut Quartilla eos docet et verbis supra laudatis, quaenam est haec audacia" iam indicavit, „aspexerunt, quod non licuit." Sed uno impetu eadem impios metu liberat, cum obiurgationi suae — quotus quisque enim culpa vacat? — haec verba mitia addit: „ac ne me putetis ultionis causa huc venisse, aetate magis vestra commoveor quam iniuria mea: imprudentes enim, ut adhuc puto, admisistis inexpiabile scelus." Ac ne scelesti putent, eam delictum in maius extollere, signa affert, quibus illustret, iram Dei iam manifestam esse factam. „Ipsa quidem," inquit „illa nocte vexata tam periculoso inhorrui frigore, ut tertianae etiam impetum timeam." Sententia horum verborum non satis est perspicua. „Illa ipsa nox" nimirum est ea, qua pallium interceptum est et Ascyltus et Encolpius sacrum Priapi violaverunt; et Quartillam propter metum irae divinae in febrim incidisse, hoc quoque intellegi potest. Sed quid sibi vult illud „timeam," cum in ea parte periodi, quod est caput, legatur „inhorrui." Sane fieri potest, ut nunc impetum tertianae timeat, quod colligat ex eo, quod illa ipsa

nocte tam periculoso inhorruit frigore. Sed nonne hoc enuntiandum erat? Nam in ipsis verbis haec vis non inest. Aut igitur inter „etiam" et „impetum" inserendum est vocabulum „nunc" aut pro „timeam" restituendum est „timerem."

Nondum oratio Quartillae finem habet, nam superest ut adulescentes moneat, ut iram deorum aptis piaculis placent. Somnio medicinam petiit et „iussa sum," ita pergit, „vos perquirere atque impetum morbi monstrata subtilitate lenire." Quam subtilis significatio hic voci „subtilitate" sit tribuenda, me fugit. Paulisper in perpendendo hoc loco cogitavi de raro illo verbo „subandi" quod cum apud alios scriptores tum apud Horatium invenitur — credo enim hic substantivum desiderari, quod eandem habeat vim atque verbum illud et apud Plinium occurrit substantivum quod est „subatio." Scriptor ille quidem utitur eo verbo ad significandam pruriginem suillam sed etiam de hominibus dici potest. Fortasse igitur in voce „subtilitate" latet „subatione" sive aliud verbum eiusdem fere sententiae, nam eius notionis vocabulum hoc loco requiri, persuasum habeo. Si enim hanc coniecturam in contextum recipimus, Quartilla haec dicit: „Ideo medicinam somnio petii et deus mihi imperavit, ut vos perquirerem atque impetum morbi lenirem, cum vos edocerem, quanta prurigo mea esset."

De remedio morbi secura, Quartilla Ascyltum et

Encolpium orat atque obsecrat ne evulgent, quod in sacello Priapi viderunt. Quod illi libenter pollicentur, profitentes se in omnibus rebus Quartillae morem esse gesturos. Illa gaudio exsultat, quod auctor noster — leguntur verbo sub finem capitis duodevicesimi — hoc modo describit: „complosis deinde manibus in tantum repente risum effusa est, ut timeremus idem ex altera parte et ancilla fecit, quae prior venerat, idem virguncula, quae una intraverat. omnia mimico risu exsonuerant, cum interim nos, *quae* tam repentina esset mutatio animorum facta, ignoraremus ac modo nosmet ipsos modo mulieres intueremur." Consulto totum hunc locum exscripsi, ut unusquisque statim mihi assentiretur perhibenti mire languidam, immo absurdam esse vocem „*quae*". Magnopere miror neminem, quod cognoverim, in ea offensum esse neque tamen sana esse potest. Quomodo enim fieri potest, ut Encolpius, postquam multis verbis „mutationem animorum" nobis enarravit, uno spiritu ita pergat „cum interim nos, quae tam repentina esset mutatio animorum facta." Nec quicquam proficimus ad rem probe intellegendum, cum ponimus „quae" hic idem valere atque „qualis". Parva opus est mutatione, te una litterula inserta locus mea quidem sententia sanari potest. Legendum censeo „quare tam repentina esset mutatio animorum facta". Mutationem animorum factam esse sciunt, quare illa facta sit, ignorant.

Subsequitur lacuna, deinde incidimus in mediam orationem Quartillae. „Ideo", inquit, „vetui hodie in hoc deversorio quemquam mortalium admitti." Quorum verborum sententia haud obscura erit, si pro „deversorio" restituetur „deversorium". Et causam vetandi uno tenore addit: „ut remedium tertianae sine ulla interpellatione a vobis acciperem". Tam misera condicione proposita varie adfectat pudicorum adulescentium animos. Ascyltus paulisper obstupuit, Encolpius autem frigidior hieme Gallica factus nullum potuit verbum emittere. Animum tamen non despondet et hac re confirmatur quod probe sentit, quantum ipse cum administris suis corporum viribus praestet tribus mulierculis infirmissimis. Deinde cogitationum eius ordo sic progreditur: „et praecincti certe altius eramus. immo ego sic iam paria composueram, ut si depugnandum foret, ipse cum Quartilla consisterem, Ascyltus cum ancilla, Giton cum virgine". Quae verba optime illustrant belli gerendi rationem ab amico nostro descriptam. Sed offendit me adverbium „immo", quod hic caret cognita sua vi negativa et perspicuitas sententiae adiuvetur, ni fallor, si pro „immo" scribamus „animo" et pro „ego" — quod tamen mihi non necessarium esse videtur — „ergo". Etenim lectione proposita in contextum recepta tollitur difficultas, quam praebet vox „immo" et sententia huius loci magis fit perspicua.

Duo capita, quae iam sequuntur, vicesimum et unum et vicesimum volo, sunt illa lacunosa quidem, sed tamen reliquiae, quae ad nos pervenerunt, vitiis manifestis carent. Nihil aliud eis continetur nisi ordine narrata descriptio Bacchanalium ad placandum Priapum celebratorum. Sed attenuant iuvenum vigilatae corpora noctes et ne amici quidem nostri, quamvis exercitati in talibus rebus, impune pervigilium, ut ait Quartilla, Priapi genio debitum, illi Deo solvunt. Verba enim, a quibus caput alterum et visesimum initium facit, nos docent et Ascyltum et Encolpium vigiliis esse confectos. Verba ipsius scriptoris sunt „cum Ascyltus gravatus tot malis in somnum laberetur, illa quae iniuria depulsa fuerat ancilla totam faciem eius fuligine longa perfricuit et non sentientis labra umerosque sopitionibus pinxit." Inutile est, credo, nos rogare quid sibi velint verba illa „quae iniuria depulsa fuerat ancilla", nam sine dubio referenda sunt ad res gestas quarum memoria nobis interiit et ideo difficile est diiudicare, utrum sana sint necne. Sed aliae questiones illis vocibus moventur. Quid est fuligo longa? Non satis intellego. Num idem valet atque „longae lineae fuligineae? Verum, si ita est, quaenam est causa, cur Petronius singulari numero usus sit? Deinde valde dubito, liceatne vocem „fuligo" in eum sensum accipere, ut idem valeat ac „linea fuliginea". Nusquam alibi, quantum cognovi,

habet eam vim. Quae cum ita sint, ista vox mihi damnanda esse videtur et coniectura Iungermanni in contextum recipienda, qui pro „longa" restitutum vult „larga". Quae vox omnes molestias tollit. Relinquitur ut paucis verbis disputemus de verbo „sopitionibus". Viri docti alii aliarum coniecturarum auctores sunt, sed nulla earum mihi omnino placet. Ego ratione habita fuliginis largae, qua ancilla utitur, malim „titionibus" vel potius, quod ea lectio nimis recedit a litteris traditis „sopiti titionibus" ita ut „sopiti" quadammodo explicet vocabula, quae praecedunt „non sentientis". Quod attinet ad ipsam vocem „sopiti", saepius apud auctorem nostrum, Vergilii imitatorem, occurrit.

Encolpius ipse quoque tot malis fatigatus est et — ita pergit nos docere de casibus suis — „minimum veluti gustum hauseram somni; idem et tota intra forisque familia fecerat" e. q. s. Continuo suspicio nobis, illa verba legentibus, movetur. Quomodo Encolpius, praecipue ut est somno vinoque gravis, animadvertere potest, familiam foris dormitare? Satis superque oculorum aciei ei attribuimus, cum putamus, eum intra parietes cubiculi omnia, quae aguntur, cernere posse. Quae opinio apte comprobatur eis verbis, quae sequuntur. Etenim legimus „atque alii circa pedes discumbentium sparsi iacebant, alii parietibus appliciti, quidam in ipso limine coniunctis

manebant capitibus." Ea verba nihil aliud sunt nisi explicatio copiosior eorum, quae supra laudavi atque ex eis luce clarius apparet, Encolpium tantummodo loqui de eis rebus, quae intra cubiculum accidunt neque in templo capiendo limen triclinii egredi. Quapropter mihi delenda esse videtur coniunctio „que" ita ut legamus „idem et tota intra foris familia fecerat" Origo vitii sine dubio debetur frequenti usui verborum „intra forisque."

Ceterum in verbis, quae ad confirmandam sententiam meam supra laudavi, pro „manebant" „marcebant" legendum esse cum Tornaesiana, mihi quidem persuasum est neque multis verbis opus est ad hanc rem illustrandam. Encolpius narrat totam familiam lassitudine et vigiliis confectam dormitare. Alii iacebant in pavimento, alii parietibus appliciti erant, quidam in ipso limine coniunctis capitibus non manebant, seb dormiebant sive marcebant. Dum quidquid hominum intra parietes est, somno est deditum, duo Syri furaces intrant triclinium, occasione oblata in maximam spem adducti se aliquid intercipere posse. Sed quia rem male gerunt, illa spe deiecti sunt. Omnes dormientes expergiscuntur, fures intellegentes se deprehensos esse, dolo utuntur et simulant se dormire sed quid illis factum sit aut quo supplicio affecti sint, memoriae non est proditum. Redintegratur convivium et variis oblectamentis convivarum animi

ad hilaritatem excitantur. Exempli causa commemoro cinaedum „hominem omnium insulsissimum et plane illa domo dignum", qui postquam carmen satis lascivum pronuntiavit, Ascyltum et Encolpium alternis blanditiis vexat. Postremo Psyche ancilla in praeclarum incidit consilium, quod Quartillae dominae in aurem insusurrat. Atque illa, quam propositum mire delectat, statim rem confici iubet. „Ita, ita," inquit „bene admonuisti cur non, quia bellissima occasio est, devirginatur Pannychis nostra?" Et neglectis precibus Encolpii nuptiae Gitonis et Pannychidis parantur. Encolpius enim — sed ipsum narrantem faciamus: „nec Gitona, verecundissimum puerum, sufficere huic petulantiae affirmavi, nec puellam eius aetatis esse, ut muliebris patientiae legem posset accipere." Quartilla longe ab eius sententia discrepat atque — ut cum Ovidio loquamur „neque enim flammis habet aptius ulla Talibus ingenium" — argumento utitur ex ipsius vita sumpto. Hoc enim responsum virtutis verae custos rigidusque satelles fert: ita minor est ista quam ego fui, cum primum virum passa sum? Iunonem meam iratam habeam, si unquam me meminerim virginem fuisse nam et infans cum paribus inclinata sum" e. q. s. Responsum quo apertius fingi ne voto quidem potest. Tantummodo haereo in illis vocibus „cum paribus inclinata sum." Quid haec verba significare debeant, nemo non intellegit. Dicit

enim Priapi sacerdos se iam inde a pueritia cum aequalibus voluptate usam esse amatoria. Sed quibus verbis hoc dicit? Si legeretur „cum paribus in lectulum inclinata sum" vel tale quid, non esset quod fusius de ea re disputaremus; sed ubi ipsa vox inclinandi eam habet vim? Equidem ignoro neque ullum locum reperire potui. Verum si eiciamus praepositionem „cum" et in locum eius substituamus „iam" oritur sententia, quae multo facilius intellegi potest. Ita vox „inclinata" in eundem sensum accipienda erit atque „propensa" et „paribus" erit Dativus casus, coniungendus cum voce, quae est „inclinata".

Encolpius nihil habet, quod huic argumentationi opponat et — ut contendere durum cum victore — a pertinacia desistit et consurgit ad officium nuptiale. Ab omnibus partibus nuptiae, quae iam apparantur, veras nuptias imitantur. Sed ipsius auctoris verba videamus, quae leguntur in initio capitis vicesimi sexti. Sunt autem: „iam Psyche puellae caput involverat flammeo, iam embasicoetas praeferebat facem, iam ebriae mulieres longum agmen plaudentes fecerant thalamumque incesta exornaverant veste" e. q. s. In quibus verbis nullum quidem vitium deprehenditur, sed tamen dubito, sitne sana vox, quae est „incesta." Primum non satis intellego, quid sit „incesta vestis." Unusquisque enim mihi concedet in illis vocibus desiderari vulgatam notionem verbi „incesti," sed deinde.

quid opus est, etiamsi fingimus huic verbo iure eam vim tribui posse quam habet verbum „obscenus," in domo, in qua nihil quicquam est quin incestum sit, disertis verbis addere, vestem, qua thalamum exornant, incestam esse? Credat Iudaeus Apella, equidem mihi persuadere non possum, hoc vocabulum esse verum neque dubito, quin in hoc vocabulo lateat participium, quod est „ingesta." Cubiculum nuptiale exornari veste et ad eam rem vestem in thalamum ingeri ex ipsa spectaculi natura sequitur, sed non video, quamobrem necesse sit, eam vestem vocari incestam.

Nuptiale sacrum conficitur cum magna hilaritate spectantium et deinde amici nostri ex diuturno labore quieti se dant, quod colligere possumus ex miseris reliquiis quas fata nobis servaverunt. Legimus enim: „abiecti in lectis sine metu reliquam exegimus noctem." Sed quomodo e manibus vexatorum suorum elapsi sint, discesserintne cum bona an cum mala gratia, hae sunt quaestiones, quibus respondere non possumus et ne verbo quidem in reliquis fragmentis Quartillae eiusque comitum mentio fit.

Casus trium circumscriptorum nostrorum persequentes videmus eos interesse in convivio lauto, ad quod vocati sunt a Trimalchione sene. Eam partem operis nostri, quae vulgo separatim editur et inscribitur „cena Trimalchionis," in quam tot et tam docti

viri operam suam contulerunt, ad tempus missam faciemus.

Initio capitis undeoctogesimi a cena domum se recipiunt. Cena illa quidem nondum ad finem erat perducta sed quodammodo turbata, cum vigiles, propter tumultum ac strepitum cornicinum in exsequiis simulatis Trimalchionis rati in aedibus eius incendium ortum esse, ianuam effregissent et „cum aqua securibusque tumultuari suo iure coepissent." Ea opportunitate usi convivae nostri raptim fugerant, ut domum se conferrent. Quod tamen apparet facilius fuisse dictu quam factu. Nam „neque fax ulla in praesidio erat, quae iter aperiret errantibus, nec silentium noctis iam mediae promittebat occurrentium lumen. accedebat huc ebrietas et imprudentia locorum etiam interdiu obfutura. itaque cum hora paene tota per omnes scrupos gastrarumque eminentium fragmenta traxissemus cruentos pedes tandem expliciti acumine Gitonis sumus." Totum hunc locum accurate perlegentes, admiratione afficimur, nostros tres homines, in quibus Gitona ipsum, alterum Pollicillum vel potius atavum Pollicilli, horam paene totam per omnes urbis angiportus ac plateas errare priusquam reminiscantur, si salvi domum pervenire velint, nihil aliud sibi opus esse facere nisi acumine Gitonis uti. Sed hanc memoriam infirmam ebrietati concedamus vel studio fabulatoris nostri omnia in maius celebrandi.

Iam audiamus, quid puer ingeniosus excogitaverit. „Prudens enim [pridie], cum luce etiam clara timeret errorem, omnes pilas columnasque notaverat creta, quae lineamenta evicerunt spississimam noctem et notabili candore ostenderunt errantibus viam". Magis mihi arridet lectio, quam praebet Tornaesiana quam quae a Buechelero in contextum recepta est. Hic enim vocem „pridie" uncis inclusit, cum mea saltem opinione maxime requiratur hoc illudve verbum, quo tempus indicetur. Etiam dubito, an praestet pro „pridie" legere „meridie", quod hoc vocabulum etiam magis quam illud convenit eis verbis, quae sequuntur „luce etiam clara". Nihil vereor ne quis mihi obiciat voce quae est „pridie" accuratius quam ea quae est „meridie" significari quod tempus noster voluerit, mediam noctem iam praeterisse neque igitur recte dici posse, Gitona meridie signa sua in pilis inscripsisse, nam non minus quam nostrates Latinos quoque puto in tali re tam parvam neglegentiam in se admisisse.

Ducibus notis creteis, quibus Giton pilas columnasque signaverat, ebrii hospites ad „stabulum" perveniunt, ad stabulum, inquam, nam ianua est clausa neque eam aperire possunt nec quisquam domesticorum vigilat, ut deversores tam sero se recipientes intromittat. Immo „anus enim ipsa" — sunt verba ipsius scriptoris — „inter deversitores diutius ingur-

gitata ne ignem quidem admotum sensisset et forsitan pernoctassemus in limine, ni tabellarius Trimalchionis intervenisset X vehiculis dives. non diu ergo tumultuatus stabuli ianuam effregit et nos per eandem intro admisit". Quantae ineptiae! Media nocte exsistit tamquam aliquis „deus ex machina" tabellarius quidam Trimalchionis neque is unus multorum, sed decem vehiculis dives. Est profecto novum genus censum cuiuspiam deferendi. Sed relictis iocis seria tractemus! In „cena Trimalchionis" multi quidem famuli ac ministri — neque est quod miremur — commemorantur, set nusquam tabellarius invenitur. Quod suspicionem movet, quamquam facile concedo id ipsum argumentum non esse iustum. Sed quid sibi vult tabellarius iste, intempesta nocte per urbem ambulans? Estne id maxime idoneum tempus, quo litteras perferat?

An ambulat animi tantummodo causa? An *φιλανθρωπίαν* exercet? An a Trimalchione missus est, ut sequatur fugientes et litteras eis tradat, quibus eos ad cenam revocet? Nihil quicquam eius modi e verbis scriptoris apparet. Immo, nihil agit aliud nisi ut tumultuatores quam celerrime intromittat. Et quid attinet in hoc contextu orationis commemorare, tabellarium istum esse hominem decem vehiculis divitem? Num possunt illa decem vehicula „exsulibus" nostris quicquam prodesse ad ianuam effringendam? Si salutis auctor ille esset vigil aliquis, accurrens ad

strepitum ac tumultum quem ebrii homines faciunt cum conantur si anum crapulam edormientem expergefacere possint aut ipse dominus deversorii illa sera noctis hora domum rediens, tota res multo maiorem speciem veritatis prae se ferret. Nunc omnia illa verba „tabellarius Trimalchionis decem veheculis dives" suspicioni sunt obnoxia. Quantopere me offendat tabellarius, mihi videor eis, quae supra dixi, satis demonstrasse. Contextus orationis in hac parte operis paulo est diffusior neque enim satis apparet, quo modo hoc caput cum „cena" cohaereat. Vincula, quibus cum eis, quae praecedunt, conectitur, satis laxa sunt. Sane, amici nostri a cena redeunt, sed praeter hoc unum nomen Trimalchionis nihil nos admonet eorum, quae praecedunt, et hoc nomine deleto omnia vincula rupta sunt, nam de quavis alia cena idem dici potest quod de hac narratur. Et si mihi licet dicere quod sentio, vox illa mihi videtur inculcata esse ut saltem quodammodo hoc caput cum „cena" coniungeretur. Eam igitur delendam esse censeo. Ceterum mihi videtur in voce „tabellarius" latere „tabernarius", id est dominus deversorii. Quod attinet ad reliqua verba „decem vehiculis dives", ea sana esse non credo, sed difficile est aliquid certi de eis proponere. Fortasse auctor noster scripsit „domum vehiculo rediens." Certe si haec verba hic legerentur, me quidem non offenderent.

In proximo incidimus in poematium eleganter scriptum. Sunt versus qui dicuntur hendecasyllabi sive Phalaecii. Dolendum est quod ultimus versus manifesto laborat vitio, quod facilius detegi quam emendari potest. Sed totum poematium exscribamus, quo facilius rei intellegentes diiudicare possint, utrum recte dicam necne.

qualis nox fuit illa, di deaeque,
quam mollis torus, haesimus calentes
et transfudimus hinc et hinc labellis
errantes animas. valete, curae
mortalis. ego sic perire coepi.

Addo etiam verba quae proxima leguntur „sine causa gratulor mihi," nam eorum quoque in hac re diiudicanda ratio habenda est. Etenim ecquis est quin statim videat, haec verba et ultimum versum cominus inter se pugnare? Quomodo fieri potest, ut Encolpius sibi gratuletur, postquam cecinit se coepisse perire? Si nobis res esset cum oratione soluta, emendatio satis esset levis, nam si pro „coepi" substitueremus „cupio", sententia recte procederet; sed supervacaneum est me monere, metrum huic mutationi obstare. Non satis mihi constat, quid hoc verbo faciamus, nam nullum verbum, quod quidem eandem fere notionem habeat atque „cupio", metro convenit. Quae cum ita

sint, obsequemur proverbio, quod imperat, ut in dubiis abstineamus, sed tamen meum esse putavi scrupulum meum in medium proferre.

Quid est, quod facit, ut Encolpius exclamet se sine causa sibi gratulari? Ascyltus, iuris humani immemor, amico sopito puerum subduxerat et in suum lectum transtulerat. Ille. tandem experrectus, sentit furtum et inflammatus ira secum deliberat, quomodo iniuriam sibi illatam ulciscatur et primo eius animum subit impetus utrumque dormientem occidendi, sed deinde — in medio tutissimus ibis — ad mitiora confugit. Gitona verberibus excitat, Ascyltum autem torvo vultu in hunc modum alloquitur: „quoniam fidem scelere violasti et communem amicitiam, res tuas ocius tolle et alium locum, quem polluas, quaere." Quae verba satis ridicula et magis digna quae dicantur a censore aliquo quam ab homine nostro leguntur sub finem capitis undeoctogesimi. Ascyltus conscientia victus nihil omnino recusat, quominus amico obsequatur. „Sed postquam" — sunt verba Petronii — „optima fide partiti manubias sumus," „age" inquit „nunc et puerum dividamus". iocari putabam discedentem." Postremum horum verborum laudatorum mihi inicit scrupulum, nam exspectabam „discessurum". Buechelerum quoque haec vox offendit, annotat enim: „simplicius haec dicentem" sed persuadere mihi non possum eam lectionem

esse veram, propterea quod nimis simplex mihi videtur, etsi concedo, sententiam recte se habere. Paulisper cogitavi de voce „dissecantem" neque habeo, quod eam coniecturam reticeam, quia mihi videtur recte concinere cum verbis illis „puerum dividamus", quibus hac voce respondetur. Videant alii possintne mihi assentiri, ergo inutile esse arbitror plura addere de significatione, quam habet vocabulum „dissecare" et quae lippis ac tonsoribus nota est.

Sed ut revertamur ad controversiam inter amicos ortam. Quem habet exitum? Ascyltus, sui iuris retinens, alterum ad certamen singulare provocat. At Encolpium ipsum narrantem inducamus: „at ille gladium parricidali manu strinxit et „non frueris", inquit, „hac praeda, super quam solus incumbis, partem meam necesse est vel hoc gladio contemptus abscidam." Duo ultima verba debemus Buechelero, libri exhibent „contentus abscindam". Virum clarissimum rem acu tetigisse mihi persuasum est nam neque locus hic est verbo „contentus" et gladio aliquid non abscinditur, sed absciditur. Libentissimo animo eius auctoritatem sequor sed res mihi nondum confecta esse videtur, nam cetera quoque verba huius sententiae omni macula esse libera, persuadere mihi non possum. Quid expectamus Ascyltum esse dicturum, vel potius quid ex rerum ordine sequitur eum dicturum esse? Ex duabus rebus elige alteram, aut cum bona gratia mihi par-

tem meam concedas oportet aut contemptus hoc gladio eam abscidam. Si igitur mihi liberum esset arbitrium, non dubitarem quin post „necesse est" insererem vocabula „mihi concedas". Ita demum sana sententia oritur, sed ut aiunt, remedium fortasse peius est quam morbus. In hac quoque re virorum doctorum exspecto quod sit iudicium.

Item Encolpius ad certamen se parat et iam in eo est, ut amici vel potius inimici de vita dimicent, cum Giton raptarum Sabinarum mulierum exempli memor, infestorum certamini intervenit et proclamat: „quod si utique facinore opus est, nudo ecce ingulum, convertite huc manus, imprimite mucrones. ego mori debeo, qui amicitiae sacramentum delevi". Hac vitae devotione ad meliora et saniora consilia revocati duo adversarii ferrum inhibent et auctore Ascylto ipsi Gitoni permittunt, ut eligat, utrum ipsorum sequatur. Intellegitur, Encolpium tam libenter hanc condicionem accipere, quia confidit se facile aemulo antepositum iri. Sed ea spes miserum frustrata est: inspiciamus modo ipsius verba, quibus ordinem affectuum sic exponit, ut rem oculis cernere videamur „Ego", inquit, „qui vetustissimam consuetudinem putabam in sanguinis pignus transisse, nihil timui, immo condicionem praecipiti festinatione rapui commisique iudici litem. qui ne deliberavit quidem, ut videretur cunctatus, verum statim ab extrema parte

verbi consurrexit et fratrem Ascyltum elegit". O fallacem hominum spem! Quid facit homo misellus, postquam se omni spe destitutum videt? „Fulminatus," inquit, „hac pronuntiatione, sic ut eram, sine gladio in lectulum decidi, et attulissem mihi damnatus manus, si non inimici victoriae invidissem". Quivis, opinor, concedet, me recte dicere male inter se concinere verba „sic ut eram" et ea, quae sequuntur „sine gladio". Si haec verba sana sunt-quod adduci non possum, ut credam - additamentum est satis languidum — ne plura dicam — nam quid est novi hominem sine gladio in lectulum incidere, neque recte conveniunt cum eis verbis, quae in proximo sunt „et attulissem mihi damnatus manus." Verum maxime me offendit haec res, quod uno spiritu Encolpius dicit se in lectum decidisse, sic ut esset, id est „cum gladio" et „sine gladio". Haec inter se conciliare nequeo. Quae cum ita sint, puto nobis tres vias patere quibus huic loco lucem afferre possimus. Aut delenda sunt verba ista „sine gladio", quod remedium mihi non probatur, quia violentius est, aut „sine" mutandum est in „cum", quae mutatio sanam quidem praebet sententiam, sed nihilo minus mihi displicet propterea quod mihi non convenire videtur cum genere dicendi Petroniano, aut pro „sine" restituendum est „stricto". Hoc remedium mihi maxime arridet, quod eo adhibito lepos huius loci mihi augeri videtur et

ita sententia concinit cum studio nostri hominis, quem vitae taedet, casus suos amplificandi.

Ad temporum ordinem redeo. Ascyltus victoria reportata superbus cum praemio suo „stabulum" relinquit. Encolpius solus in loco peregrino, ut ipsius verbis utar, remanet. Postquam duobus distichis nos admonuit, quam iustum esset proverbium, quod est: „Donec eris felix, multos numerabis amicos, Tempora si fuerint nubila, solus eris," alterum sequitur poematium, item ex duobus distichis constans. Legimus enim:

grex agit in scaena mimum: pater ille vocatur,
  filius hic, nomen divitis ille tenet.
mox ubi ridendas inclusit pagina partes,
  vera redit facies, dum simulata perit.

Hoc carmen vel potius huius carminis versus proximus a postremo misere deformatur macula, quam Buechelerus in editione tertia satirarum delere conatus est, cum pro „pagina" coniecit „machina" et si exemplis comprobari posset, vocabulum quod est „machina" eandem vim habere posse atque „aulaeum," non dubitarem eius auctoritatem sequi. In quarta tamen editione omisit suam coniecturam, in calce certe paginae nulla reperitur. Nescio quae causae virum clarissimum adduxerint ut opinionem suam

mutaret, sed coniectura eius magnam speciem veritatis prae se fert neque mihi suppetit quicquam, quod ei anteponendum videatur.

Encolpius solus relictus in deversorio, postquam lacrimis indulsit, sedem mutare constituit. Vasa colligit et maestus „locum secretum litori proximum" conducit. Ibi, cum per triduum parietibus se contineret, abundavit tempore ut in absentes, quos antea amicos habebat, iram effunderet et omnia eorum scelera ac flagitia in memoriam sibi revocaret. Quamquam laudandus est in eo, quod sua quoque delicta animo aperto confitetur. Non eo quidem consilio tam amans veri est, ut simplici confessione conscientiae morsus leniat, sed tamen, quamquam id tantummodo agit, ut ostendat propter audaciam, quam in facinoribus praestitit, meliore fortuna se dignum fuisse, libenter ei acceptum referimus, quod in ratione conficienda suae vitae non obliviscitur. Dolendum est, quod in tenebris versamur, quaerentes, ad quas res maleficia eius pertineant. Velut cum haec dicit: „effugi iudicium, harenae imposui, hospitem occidi," nequaquam e satiris eruere possumus, quod iudicium velit, quem hospitem occiderit, cum vis illorum verborum, „harenae imposui" mihi quidem prorsus obscura sit. Verum istam obscuritatem tribuamus miserae condicioni operis nostri et pergamus. Postquam fervidissima oratione nequitiam Ascylti nobis

depinxit et eum, ut ait Cicero de M. Antonio, a puero inspexit, deflectit ad Gitona, quem hisce verbis nobis commendat; „quid ille alter? qui tanquam die togae virilis stolam sumpsit, qui ne vir esset, a matre persuasus est, qui opus muliebre in ergastulo fecit, qui postquam conturbavit et libidinis suae solum vertit, reliquit veteris amicitiae nomen et, pro pudor, tanquam mulier secutuleia unius noctis tactu omnia vendidit." Duae sunt res in hoc loco, ad quas hominum doctorum oculos conversos velim. Prior est vox „tanquam," a Buechelero uncis inclusa, altera vocabulum, quod est „conturbavit." Quod attinet ad illam rem, ex annotatione Buecheleri apparet, ordinem verborum illorum „alter qui tanquam die" in libris perturbatum esse, quem editor in integrum restituere conatus est.

Opinor eum paulo longius progredi debuisse et vocem „tanquam" quoque non suum obtinere locum, quam vocem inter „qui" et „die" positam, non ferendam esse plane concedo. Sed quid, si huic quoque vocabulo alium assignemus locum, ita ut ante „stolam" locum obtineat? Quod si fecerimus, nemo erit, credo, quem hoc verbum offendat. Et quamvis mihi displiceat animos legentium a proposito avertere locis hinc et illinc sumptis, facere non possum quin hic locum Ciceronianum proferam, qui legitur in oratione Philippica secunda. Est enim locus, qui tan-

tum similitudinis habet cum eis verbis, de quibus nunc disserimus, ut dignus sit, quem accuratius inspiciamus. In paragrapho quadragesima quarta huius orationis Cicero Antonium alloquitur his verbis: „Sumpsisti virilem, quam statim muliebrem togam reddidisti. Primo vulgare scortum; certa flagitii merces nec ea parva; sed cito Curio intervenit, qui te a meretricio quaestu ab duxit et tamquam stolam dedisset, in matrimonio stabili et certo conlocavit." Credo inutile fore, postquam haec verba Ciceroniana legentibus in memoriam revocavi, eos diutius demorari illustranda sententia, in quam verba disposita quem ad modum meo iudicio disponenda sunt, accepta velim. Ad alteram igitur progrediamur quaestionem Vocabulum „conturbavit", hic nude sive intransitive positum, idem fere valet atque verbum decoquendi et facile concedo, fieri posse, ut hoc verbum sanum sit. Sed cum reputo, nostros homines in flagitiis suis enumerandis minime saepe facinora ad rem pecuniariam pertinentia commemorare, quod maius est, furta, latrocinia et alia eiusmodi in virtutum numero habere, levis mihi affertur dubitatio, an praestet illi voci „conturbavit" aliam substituere, quae quidem non novum scelus prioribus addat, sed quodammodo vinculum sit, quo „ergastulum" in eis, quae praecedunt et „solum vertit" in eis, quae sequuntur, inter se conectantur. Volo vocem, quae est „commigravit". Non sine verecundia quadam

hanc coniecturam protuli, quod satis audax mihi videtur, verum quoniam id unum ago, ut contextui Petroniano quam maxime prosim, spero fore ut si erraverim, mihi ignoscatur.

His atque talibus animi commoti significationibus cum magis magisque effervisset, invidiae plenus consilium capit non prudens id quidem, sed quod intellegere possimus, cum solitudinem eius reputemus. Inspiciamus modo ipsum librum nostrum. Verba, quae volo, leguntur sub finem capitis octogesimi primi: „iacent nunc amatores obligati noctibus totis, et forsitan mutuis libidinibus attriti derident solitudinem meam sed non impune nam aut vir ego liberque non sum, aut noxio sanguine parentabo iniuriae meae. haec locutus gladio latus cingo, et ne infirmitas militiam perderet, largioribus cibis excito vires. mox in publicum prosilio furentisque more omnes circumeo porticus. sed dum attonito vultu efferatoque nihil aliud quam caedem et sanguinem cogito" e. q. s. Prorsus assentior Buechelero ad vocem „obligati" annotanti: „potius colligati", sed quod vir clarissimus in calce paginae ad versum duodetricesimum ascribit: „exspectamus efferatoque incedo ac deinde cogitans", hactenus tantum modo cum eo facio ut mihi videatur recte iudicasse hunc locum vitio laborare et prudenter demonstrasse quam sententiam hic contextus orationis requirat sed de remedio, quo haec verba

sananda sunt, dissentimus. Mihi enim alio eoque clementiori videtur utendum esse remedio. Sane quod editor optime meritus de auctore nostro verba a se proposita in contextum non recepit mihi est indicio eum ipsum iudicasse rem nondum a se esse expeditam.

Quod mihi plus facit animi, ut aperiam, quod excogitavi. Mihi videtur vitium latere in voce, quae est efferatoque, ex cuius vocis posteriore parte coniunctionem „atque" eliciendam esse mihi persuasum est, cum priorem partem nihil esse nisi reliquias verbi q. e. „revertor" putem, ita ut totum locum sic restitutum velim „sed dum attonito vultu revertor atque nihil aliud" e. q. s. Verba ipsa loquuntur neque longa oratione, qua ilustrentur, indigent. Hoc tantum admonere velim ad coniecturam meam probandam, vocem „revertendi" meo quidem iudicio optime consentire cum eis verbis quae proxime leguntur. Quid enim dicit Encolpius? In publicum prosilio et furentis more omnes porticus circumeo. Frustra! Nusquam reperio eos, quos ulcisci statueram. Sed dum attonito vultu revertor atque nihil aliud quam caedem et sanguinem cogito, obviam mihi fit miles quidam. Verum iam satis; persequamur narrationem. Miles, in quem homo noster, sanguinem sitiens, incidit eum arma ponere iubet postquam cognovit illum falso militem se profiteri et miles simulatus sine armis in deversorium

suum redit. Hic ordo fabulae misere intermittitur, nam poematium-satis lepidum quidem et eleganter scriptum, sed alienum a ratione sententiarum-quod sub finem capitis alterius et octogesimi legimus, nihil affert quod nobis usui esse possit ad ordinem narrationis perspiciendum. Et pauca verba, quae in extremo capite leguntur non tantum lucis afferunt, ut aliquid certi inde colligamus.

Initio capitis octogesimi tertii audimus, Encolpium — sclilicet ut animum gravissimis curis onustum remittat — in pinacothecam pervenire „vario genere tabularum mirabilem." Ex cogitationibus, quas tabulae conspectae ei suppeditant, nobis apparet, eum neque deliciarum suarum oblitum esse neque odium in Ascyltum evanuisse. Dum multa secum animo volutat, intrat alius artium liberalium studiosus cui continget ut magnas in opere nostro agat partes neque eas ingratas. Sed nihil efficacius aestimo ad hominem nobis commendandum quam ipsum Petronium narrantem inducere, qui imaginem eius tali oratione expressit ut oculis eum cernere nobis videamur. „Ecce autem, ego dum cum ventis litigo, intravit pinacothecam senex canus (fortasse calvus), exercitati vultus et qui videretur nescio quid magnum promittere, sed cultu non proinde speciosus, ut facile appareret eum ex hac nota litteratum esse, quos odisse divites solent. is ergo ad latus constitit meum „ego," inquit „poeta

sum et ut spero, non humillimi spiritus, si modo coronis aliquid credendum est, quas etiam ad immeritos deferre gratia solet," „quare ergo" inquis „tam male vestitus es?" propter hoc ipsum. amor ingenii neminem unquam divitem fecit." Deinde ingenii specimen nobis dat, unde cognoscere possumus facultatem eius ex tempore optimos versus dicendi haud parvam fuisse. Sunt enim versus optimae notae, quibus conqueritur iniquitatem aetatis suae, quae debitum ac meritum honorem poetis non reddat. Verba illus carminis tam perspicua sunt, ut nihil opus sit diutius in eis commorari. Tum soluta oratione eandem tundit incudem. „Non" inquit „dubie ita est: si quis vitiorum omnium inimicus rectum iter vitae coepit insistere, primum propter morum differentiam odium habet, quis enim potest probare diversa? deinde qui solas extruere divitias curant, nihil volunt inter homines melius credi, quam quod ipse tenent. insectantur itaque, quacunque ratione possunt, litterarum amatores, ut videantur illi quoque infra pecuniam positi." Est nimirum res minoris momenti, sed tamen paucis commemorare volo me prorsus assentiri Buechelero ascribenti ad versum undecimum: „malo illae et positae" et mirari quare vir clarissimus eam emendationem non in contextum receperit. Coarguit Eumolpus perversam vitae instituendae rationem eorum, qui nihil in vita antiquius existiment quam

divitias, qui omnia consilia atque facta ad rem faciendam referant et ob eam causam homines „diversa sequentis" oderint odio Vatiniano. Neque id faciunt propter homines ipsos sed propterea quod eorum vitae studium discrepat a suo, quo nullum melius sibi fingere possunt. Quid igitur spectant in litterarum amatoribus insectandis? Non ut *illi* infra pecuniam positi videantur, sed *litterae*, quibus Eumolpus contra nihil pluris aestimat.

Ad reliqua progrediamur. Iam sequuntur duo fragmenta satis parva neque digna, in quibus multum temporis consumamus, quoniam eorum sententia nihil prodest ad contextum orationis melius intellegendum. Capite octogesimo quinto et duobus capitibus quae proxima sunt, iterum nobis Eumolpus dat specimen ingenii sui. Narrat enim Encolpio, quibus artibus sibi Pergami versanti contigerit — invia virtuti nulla est via — ut amorem sibi conciliaret formosi cuiusdam pueri eiusque filii hospitis sui. Argumentum huius fabulae non potest non taedium nobis afferre, sed admiramur genus narrandi exercitati senis nostri, quo vix quicquam perfectius est. Verba huius fabulae satis integra nobis tradita sunt. In ea duo tantum sunt loci, in quibus haesi. Alter ex eis Buecheleri quoque animum offendit. Locus quem volo legitur versu duodetricesimo primi capitis ex eis quos laudavi, ubi haec verba scripta sunt:

„forte cum in triclinio iaceremus, quia dies sollemnis ludum artaverat pigritiamque recedendi imposuerat hilaritas longior" e. q. s. Editor noster in calce paginae ad vocem „artaverat" haec annotavit: „immo adtulerat". Quod attinet ad sententiam virum clarissimum rem acu tetigisse arbitror sed equidem malim „arcessiverat", quia haec vox mihi melius convenire videtur generi dicendi Petroniano. Vocem „artaverat" non ferendam esse, nisi confugimus ad nimis longe quaesitam interpretationem huius loci, inter omnes constare puto. „Artare" enim hic nihil aliud significare potest nisi „minuere", „angustiorem reddere" neque video, quomodo illam notionem servare possimus, quin significationi vocis „ludum" vim afferamus.

Alter locus, qui mihi molestias praebet, legitur in capite octogesimo septimo. Ibi enim — est versus duodequadragesimus — haec sunt: „itaque excitavit me sopitum et „numquid vis?" inquit. et non plane iam molestum erat munus. utcunque igitur inter anhelitus sudoresque tritus, quod voluerat, accepit, rursusque in sommum decidi gaudio lassus." Quae verba omnia mihi quidem perspicua sunt praeter haec „et non plane iam molestum erat munus." Mihi enim haec verba adversis frontibus pugnare videntur cum eis quae sequuntur: „utcumque igitur inter anhelitus sudoresque tritus, quod voluerat accepit" et spero fore, ut nemo, qui quidem otiose haec verba

legerit, id infitias eat. Unum est remedium, quod satis in promptu est neque magna opera indiget. Si enim negationem delemus, oritur sententia, quam intellegere certe possimus. Mihi vero hoc remedium, quamvis lene, non vehementer placet, immo fortiore medicamento hic opus esse credo. Quam languide enim dicta sunt: „et plane iam molestum erat munus." Ipsum vocabulum illud „iam" mihi est indicio, negationem servandam esse. Porro credo ista verba, de quibus agimus, non esse verba Eumolpi fabulatoris nostri, sed formosissimo puero assignanda esse, ita tamen ut inter „et" et „non" inseramus „mihi". Puer igitur, si opinio mea vera est, haec dicit: „numquid vis? et mihi non plane iam molestum erat munus" Ita demum verba illa „utcunque igitur" e. q. s. recte excipiunt ea, quae praecedunt. Tantum abest ut Encolpius fabula illa Milesia absterreatur a consuetudine senis modo cogniti, ut mire ea delectetur et statim eum, qui narravit, ut prudentiorem de variis rebus consulere instituat, de aetatibus tabularum, de quibusdam argumentis sibi obscuris, de causis propter quas artes liberales evanuerint, imprimis pictura. Responsum fert, quod cum singularis scientiae tum admirabilis acuminis est. Omnia verba Eumolpi, ad ultimam quaestionem pertinentia, huc redeunt, auri sacram famem esse auctorem illius mali. „Noli ergo mirari" — sic loquitur sub finem huius

capitis duodenonagesimi „si pictura defecit, cum omnibus diis hominibusque formosior videatur massa auri, quam quicquid Apelles Phidiasque, Graeculi delirantes, fecerunt." Immo „ut Graeculi delirantes", nam omnino alienum est ab aestimatione Eumolpi Apellem Phidiamque Graeculos delirantes vocare.

„Sed" — ita pergit — „video te totum in illa haerere tabula, qua Troiae halosin ostendit itaque conabor opus versibus pandere." Dictum factum ex tempore pronuntiat carmen satis magnum — constat enim ex sexaginta quinque trimetris iambicis — in quo componendo ei Aeneidos librum secundum usque ob oculos versatum esse cum ex plurimis aliis indiciis tum ex versu undecimo apparet. Is enim versus ita scriptus est: „o patria, pulsas mille credidimus rates." Quem si legimus, non Eumolpum nobis audire videmur, sed ipsum Aeneam Elisae casum Troiae enarrantem. Ex qua enim alia re repetenda est causa huius rei, quod poeta hic prima persona loquitur?

In hoc carmine legendo pauca me offenderunt, quae in medium proferre volo. Primum ab omnibus partibus mihi convenit cum viro clarissimo Buechelero, in versu septimo pro „aperitur" conicienti „paratur", idque hac adductus ratione, quod „antrum" i. e. alvus equi Troiani non aperitur, sed paratur. Posterior huius versus pars eandem fere habet vim et ex ea dilucide apparet, quae sententia priori tribuenda sit.

Deinde versus decimi quarti ultimam vocem vix esse sanam credo. Quid enim dicit poeta? Tres res nos pellexerunt ut crederemus bellum esse finitum, primum titulus in equo incisus, deinde Sinon, tum mens „semper in damnum potens", quod mihi non satis recte dictum esse videtur. Poetam hic cogitasse de loco illo Vergiliano, qui in secundo libro Aeneidos legitur „si mens non laeva fuisset" mihi persuasum est. Quae cum ita sint, pro „potens" malim „ferens". Si in hac re auctoritatem sequimur maioris partis librorum, sunt tantummodo duae res, quae Troianos perdiderint, titulus in equo incisus et Sinon, compositus ad furta et mendacium in damnum potens. Facile concedo hanc quoque lectionem probari posse sed prior mihi magis placet.

Hactenus meas ad Petronium observationes aliquo inter se connexi vinculo; eo vinculo quod ipsa mihi fragmenta praebebant. Nunc, ne diutius quam opus est legentes teneam ex annotationibus meis ad alteram saturarum partem paucas quasdam elegi quae mihi ceteris graviores certioresque viderentur. Atque has nullo iunctas vinculo hic proponam; ea tantummodo praemonebo quae ad verba, in quibus quaestio versatur, intellegenda plane sint necessaria.

## Ad cap. XC vers 4.

Ibi leguntur haec verba: „timui ego, ne me poetam vocaret." Eumolpus, postquam carmen ad Troiae halosin pertinens pronuntiavit, ab iis, qui in porticibus spatiabantur imbre lapideo obruitur. Capite operto in fugam se dat et extra templum profugit. Deinde sequuntur verba quae attuli. Quae est eorum significatio? Buechelerus ipse quoque in hac quaestione haesisse videtur, nam in calce paginae ad hunc versum annotat se exspectavisse „putarent" pro „vocaret." Facile concedo hanc coniecturam in contextum receptam meliorem praebere sententiam quam verbum traditum, sed tamen vereor, ut illa mutatione res expedita sit neque mihi persuadere possum virum clarissimum genuinam repperisse lectionem. Manet enim scrupulus, qui etiam in verbis traditis nos offendit. Eumolpum esse poetam probe sciunt ii, qui lapides mittunt et insuper apparet ex eius fuga. Quare igitur non scriptum est „ne me quoque poetam putarent" vel eiusmodi aliquid? Quid timere debet Encolpius? Scilicet ne ambulantes animadvertant aliquam ipsi cum

Eumolpo intercedere rationem. Nam, si illud intellegunt, periculum est, ne item eorum iram et odium experiatur. Hoc igitur ei cavendum est ne quid poeta fugiens faciat, unde appareat, inter eos aliquod esse vinculum. Quam sententiam verbis traditis levi mutatione dare possumus. Etenim si vocis „poetam" ultimam litteram delemus, nascitur sententia, quam volo. In hunc modum contextu constituto simul verba, quae auctor noster subiungit eis, de quibus nunc agimus, melius coniungi videntur cum eis, quae praecedunt.

## Ad cap. XC (pag. 62) vers 2.

„immo quoties theatrum ut recitarem aliquid, intravi, hac me adventicia excipere frequentia solet." Sunt verba Eumolpi respondentis ad exprobrationes Encolpii Hic enim, postquam in tutum se recepit, conquestus erat morbum comitis sui „saepius poetice quam humane loquentis." Ipse poeta multo minus commovetur iniuriis, quibus obnoxii fuerunt, iam assuefactus est tali contumeliae, idque adeo, ut eam conferat cum cibo cotidiano, quod cum ex nostro loco tum ex eis verbis quae sequuntur, pro certo colligere possumus. Quae cum ita sint, quivis, puto, mihi assentietur dicenti ad vocem „adventicia" mente

supplendum esse vocabulum quod est „cena." Verum quidnam obstat, quominus eam vocem etiam in contextum recipiamus? Frustra enim quaesivi alios locos, qui eandem praestent omissionem. Nullo negotio intelligitur, si recte disputasse videbor, eam vocem in contextum esse inserendam post verbum, quod est „me."

## Ad cap. XCI vers 25.

In balneo Encolpius Gitona repperit et cum eo in gratiam rediit. Una in hospitium illius pervolaverunt, ubi duo amantes praeclusis foribus omnes animi sensus expromunt. Postremo Encolpius haec dicit: „sed nihil iam queror, nihil iam memini, si bona fide paenitentiam emendas." Paulum dubito, sitne recte dictum „poenitentiam emendare." Credo hic desiderari sententiam, quam habet verbum probandi, quapropter pro „emendas" legendum censeo „commendas." Non emendanda, i. e. corrigenda, mendis purganda paenitentia mihi videtur, sed commendanda, i.e. probanda. Si vocem, quae est „emendas" servamus, necessaria mihi videtur coniectura quam proposuit Buechelerus, qui in locum vocis „paenitentiam" substitui vult „sententiam."

## Ad cap. XCIII vers 28—32.

ales Phasiacis petita Colchis
atque Afrae volucres placent palato,
quod non sunt faciles: at albus anser
et pictis anas renovata pennis
plebeium sapit e. q. s.

In hoc carmine ordo sententiarum quae sit sponte apparet. Facilia et vulgaria spernuntur, longe petita et difficilia in pretio sunt sive ut ipsius scriptoris verbis utamur „quicquid quaeritur, optimum videtur." Versus quartus huius poematii, ex versibus Phalaeciis sive hendecasyllabis constantis, manifesto vitio laborat, metrum enim claudicat. Buechelerus in calce paginae ad hunc versum annotat „metro convenit aemulata." Sed nihil, opinor, vetat nos cum Burmanno scribere „enovata" aut, quod mihi quidem multo etiam probabilius videtur, „enotata"? Haec duo verba optime concinunt cum genere dicendi Petroniano et metro conveniunt, et multo minus recedunt a verbo tradito quam vocabulum, a Buechelero propositum.

## Ad cap. XCIV vers 21.

„Vide, quam non conveniat his moribus.“ Eumolpus praesente Encolpio formam Gitonis summis laudibus extulit. „O felicem“ exclamavit „matrem tuam, quae te talem peperit (fortasse „pepererit“), macte virtute esto“ et alia eiusdemmodi. Eae laudes Encolpii invidium excitaverunt. Non fugit hoc Gitona et veritus ne ira domini in se effunderetur, quasi aquam peteret, cellam reliquit. Deinde Encolpius Eumolpum his verbis alloquitur: „Eumolpe, iam malo vel carminibus loquaris, quam eiusmodi tibi vota proponas. et ego iracundus sum, et tu libididosus: vide quam non conveniat his moribus. puta igitur me furiosum esse, cede insaniae, id est ocius foras exi.“ Totum hunc locum exscripsi quo magis perspicuum esset Encolpium oratione sua id agere ut ostendat mores suos tantopere discrepare a moribus Eumolpi, ut ille, si sapiat, quantocius discedat. Quod si constat, nonne praestare videtur verba, quae attuli, in hunc modum mutare „vide quam non convenias his moribus“? Tradita lectio quem praebeat sensum non video, at quam ego propono contextui est aptissima et lenissima restituitur emendatione.

## Ad cap. XCIV (pag. 65) vers 3.

„Rudis enim novacula et in hoc retusa, ut pueris discentibus audaciam tonsoris daret, instruxerat thecam." Ipsa haec verba sufficiunt ad recte intellegenda quae ad hunc locum pertinentia in medium prolaturus sum. Ingenue fateor me hanc sententiam non intellegere et vereor ut sic unquam quisquam Latine sit locutus. Quomodo enim novacula thecam instruere potest? Sed non credo scriptorem nostrum hoc dicere voluisse. Immo Eumolpi mercennarius thecam instruxerat cum aliis rebus tum hac singulari novacula. Opportune fit ut una litterula deleta hic locus in integrum restitui possit. Legas quaeso „rudis" ut omnia recte procedant.

Et haec quidem im praesentia sufficiant. Meum enim facio fabularum poetae illud:

Supersunt mihi quae scribam sed parco sciens.

# THESES.

# THESES.

I.

Petronius auctor satirarum non est idem atque C. Petronius, qui Neroni inter paucos familiarium adsumptus est elegantiae arbiter (Tac. Ann. XVI, 18).

II.

Structura libri Petroniani quodammodo conferenda est cum dispositione fictarum fabularum, quibus Hispani ineunte saeculo XXVII excellebant et quas imitatur in literis Belgicis Nicolaus Heinsius in libro suo, qui inscribitur „de vermakelijke Avonturier".

## III.

Errant qui putent in satiris Petronii iram Priapi esse vinculum quo variae res gestae inter se conectantur.

## IV.

Satirae Petronianae nihil aliud spectant nisi ut animos legentium delectent.

## V.

Falsa est opinio eorum, qui putent Petronium satiris scribendis Odysseam ludicram componere voluisse.

## VI.

Sen. Apol. c. 9.

„Tandem Iovi venit in mentem, privatis intra curiam morantibus sententiam dicere, nec disputare."

Legendum puto „nec sententiam dicere licere nec disputare".

## VII.

Vir clarissimus Mommsen (Röm. Gesch. I pag. 604) errat cum dicit pugnam Cannensem factam esse in ripa *sinistra* fluminis Aufidi.

## VIII.

Tac. Ann. XI c. 3.

„hortantibus dehinc quibusdam inediam et lenem exitum, remittere beneficium Asiaticus ait."

Fortasse pro „et" legendum „ut."

## IX.

Hor. Epist. I, 7, 35.

„Nec somnum plebis laudo satur altilium" Pro „somnum" lege „cenam".

## X.

Tac. Ann. XIII c. 38.

„ideo artum inde numerum finiri et hinc maiorem offerri, ut dolus pararetur".

Fortasse legendum „ut dolus lateret".

## XI.

Sen. de ira I, 6.

„non aliquando castigatio necessaria est? quidni? sed haec sincera, cum ratione."

Legas pro „sincera" „sine ira"

## XII.

Sen. de consol. VI, 3.

„at ille vel in naufragio laudandus quem obruit mare navem tenentem et obnixum".

Pro „navem" legas „clavum".

## XIII.

Verg. Aen. IV, 375.

„amissam classem, socios a morte reduxi".

Pro „amissam" restituendum „ambustam".

## XV.

Verg. Aen. IV, 11.

„quem sese ore ferens, quam forti pectore et armis"

Pro „quam" malim „quem".

## XV.

Plut. Pericles c. 8. 6:

„οὐ γὰρ ἐκείνους αὐτοὺς ὁρῶμεν, ἀλλὰ ταῖς τιμαῖς ἃς ἔχουσι καὶ τοῖς ἀγαθοῖς ἃ παρέχουσιν ἀθανάτους εἶναι τεκμαιρόμεθα. ταῦτ' οὖν ὑπάρχειν κ. τ. λ.

Pro „οὐ" legendum puto „οὐδὲ" et pro „ταῦτ'" „ταὔτ'".

## XVI.

Herod. III 69.

„ἐν περιτροπῇ γὰρ δὴ αἱ γυναῖκες φοιτέουσι τοῖσι Πέρσῃσι."

Pro „τοῖσι Πέρσῃσι" legendum censeo „τῷ Πέρσῃ".

## XVII.

Demosth. περὶ τῆς εἰρήνης (V). 3.

„καὶ τὰ προειμένα σωθήσεται"

Pro „σωθήσεται" restituendum videtur „ἀνασωθήσεται".

## XVIII.

Demosth. ὑπὲρ Φορμίωνος (XXXVI). 6.

εἵλετο μᾶλλον αὐτὸν τὸν Πασίωνα χρῆσιν ἔχειν τούτων τῶν χρημάτων ἢ τοὺς ἄλλους χρήστας."

Ultima vox delenda est.

## XIX.

Plato, Protag. 320 A.

„*Κλεινίαν, τὸν Ἀλκιβιάδου τουτουῒ νεώτερον ἀδελφόν, ἐπιτροπεύων ὁ αὐτὸς οὗτος ἀνὴρ Περικλῆς, δεδιὼς περὶ αὐτοῦ μὴ διαφθαρῇ δὴ ὑπὸ Ἀλκιβιάδου, ἀποσπάσας ἀπὸ τούτου, καταθέμενος ἐν Ἀρίφρονος ἐπαίδευε.*"

Pro „*ἐπαίδευε*" legamus velim „*ἐπαιδεύετο*".

## XX.

Plato, Protag. ibidem.

„*καὶ πρὶν ἓξ μῆνας γεγονέναι, ἀπέδωκε τούτῳ οὐκ ἔχων ὅτι χρήσαιτο αὐτῷ.*"

Non assentior v. d. Warren, verba „*ἀπέδωκε τούτῳ*" ita explicanti, ut Pericles Alcibiadi puerum reddat.

## XXI.

Isocrat. Aegin. 25.

„*αἳ πλέον θἄτερον ἐποίησαν.*"

Haec verba non sunt interpretanda ut v. d. Punt (vier pleidooien van Isocrates p. 74) vult, ita in patrium sermonem ea vertens: „die aan den anderen kant overdreven". Immo hoc modo sunt transferenda: „die eerder het omgekeerde deden."

## XXII.

Xen. Hell. II, 3, 26:

*„ἐναντίον τῇ ὀλιγαρχίᾳ“.*

Legendum puto *„ἐναντίον ὄντα τῇ ὀλιγαρχίᾳ“.*

## XXIII.

Eur. Herc. Fur. 1094.

*„ἰδού, τί δεσμοῖς ναῦς ὅπως ὡρμισμένος ἧμαι.“*

Restituas velim *„ὡρμισμένη.“*

## XXIV.

Eur. fragm. 1064.

*„ὅστις δὲ ταύτῃ τῇ νόσῳ συνὼν ἀνὴρ*

*μέθῃ ταράσσει καὶ γαληνίζει φρένα“.*

Pro *„ταράσσει“* legendum puto *„μαλάσσει“.*

## XXV.

Ev. Lucae c. 16. 8.

*καὶ ἐπῄνεσεν ὁ κύριος τὸν οἰκονόμον τῆς ἀδικίας ὅτι φρονίμως ἐποίησεν.“*

Legendum censeo: *„καὶ ἐπῄνεσαν* |*ὁ κύριος*| e. q. s.“ scil. *οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου.*

## XXVI.

Ev. Lucae c. 16 9—19 transponantur post 31.